

vel potationibus vacent, sed de suo ministerio et A religiosa conversatione, atque de his quæ in eorum parochiis accidunt sermonem habeant, et qualiter pro rege vel rectoribus ecclesiæ, atque pro familiaribus suis, tam vivis quam et defunctis, orare debeant, simul considerent.

XXI. Docete etiam parochianos vestros ut quando ad ecclesiam conveniunt, orare pro se proque aliis cum gemitibus et lacrymis studeant, et a verbis otiosis se subtrahant; quia Salvator noster, quando ingressus est templum, et vendentes in illo et ementes eliminavit, protinus dixit: *Scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur* (Matth. xxi). Et si ibidem aliqui sunt discordes, pia admonitione et sacerdotali exhortatione eos ad concor-

diam revocate: si vero semel et bis a vobis admoniti audire refugerint, secundum auctoritatem Agathensis concilii ab Ecclesia excommunicentur. Ita enim in præfato concilio de his qui per odium ad pacem non revertuntur capite trigesimo primo scriptum continetur: Quod si inimicitias deponere perniciose intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur. » Item in concilio Carthaginensi, capite nonagesimo tertio: « Oblationes dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur. »

XXII. Quando autem vobis a nostra parvitate vel a comministis nostris jejuniū faciendum injungitur, plebes ad ecclesiam venire rogare, et facta litaniam, et missis celebratis. . . . .

ANNO DOMINI DCCCII.

## MANTIO CATALAUNENSIS EPISCOPUS.

### MANTIONIS EPISTOLA AD FULCONEM RHEMENSEM EPISCOPUM.

(Province de Reims, tom. I.)

Domino Patri Fulconi venerabili archiepiscopo, B et omnibus episcopis ejus suffraganeis, et cuncto clero eorum, presbyteris, diaconibus, et cunctis ordinis, tam canonicis quam et monachis, MANTIO humilis Catalaunensis episcopus, fide obsequium et devotas orationes.

Notum sanctimonie vestre precamur quia presbyter quidam, nomine Angelicus, de villa Wasnau de ecclesia sancti Lupi, venit ante presentiam nostram coram synodo nostra Catalaunis Nonis Maii habita; et convictus proprio est ore confessus qualiter cum parochianis suis desponderit vel desponsaverit quamdam feminam, nomine Grimmam, consentientibus propinquis ejus (a). Quam cum ducere pergeret, respectu clementie Dei restitunt nequissimo conatui ejus boni et pii fidelesque homines C

alii. Quam actionem cum diu omnes pariter doleremus, contulimus super hoc nihil deliberare priusquam ad vestram paternitatem per eundem presbyterum scriberemus, supplicantes instrui quid nobis agendum foret, nec correptione ulcisci malam presumptionem, quam per vos quærimus insinuandam. Omnes ergo nos sanctam paternitatem vestram oramus ut eundem fratrem hæc litteras ferentem in Domino suscipiatis, et per eum litteris desiderabilibus vestris insipientiam nostram instruat, et qualiter hæc presumptio ab Ecclesia pellatur sollicitè perpendatis. Constitit itaque inter nos a nostro seorsum esse collegio, quousque vestro consolemur rescripto. Valet, pro nobis obsecramus orantes.

(a) Primus hic notatur qui, sacerdotium indutus, de inchoando matrimonio cogitaverit.

ANNO DOMINI DCCCVI.

## MARTINIANUS MONACHUS NOTITIA HISTORICA.

(Apud. Mabill. Annalium tom. III, pag. 324.)

Ineunte decimo sæculo florebat Martianus monachus, cujus scripta quedam, hactenus ut puto incognita, invenimus in codice Resbacensi, in quo

quatuor ejus *Exercitationum* libri, nempe duo ad monachos sui temporis, unus ad clericos, unus item ad laicos, habentur. Hic disciplina regularis causa